

I. N. J.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
THEOREMATA  
NONNULLA PSYCHO-  
LOGICA EXHIBENS,

Quam

Ex consensu & approbatione Am-  
plissimæ Facultatis Philosophicæ in  
Regiâ Academiâ Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

DN. M. ANDREÆ  
THURONII, Log. Phys. &  
Metaph. Professoris Publ. & p. t. Des-  
cani Spectabilis, Promotoris ac Præ-  
ceptoris plurimum honorandi.

Pro Magisterij Philosophici gradu ejusq;  
privilegijs, publicæ & candidæ  
censura submittit

JOSEPHUS JOS. MATHE-  
SIUS Bothn.

Ad diem 7. junij A: 1665. in Auditorio ma-  
ximo horis consuetis matutinis.

A B O Æ

Excusa à PETRO HANSONIO A.T.

Zacharias Dahl.

S:z R:z M:z Fidelissimo  
Generoso & Nobilissimo Domino,  
DN. JOHANNI Graan/ de Åhn-  
stadh & Storewåshy/ Bothniæ ori-  
entalis Dynastæ Eminentissimo, Pa-  
tronø ac Domino suo gratioſo.

Consultiss. Reverendis & Spectatiss. VIRIS.  
DN. OLAO SAMUELIS, supremi  
judicij quod Aboæ est Assessori am-  
plissimo, Promotori & Nutritio suo patris adinstar  
reverenter colendo.

DN. JOSEPHO MATHESIO, Pastori  
& Præposito Calajokensi vigilantif-  
fimo, Patri suo ætatèm humili observantiā deves-  
nerando.

DN. ERICO FALANDRO, Pastori  
in veteri Carleby benè merito  
Fautori & benefactori suo plurimū honorando.

DN. ERICO Tavast/ Teloniorum  
per Bothniam orientalem Inspecto-  
ri circumspecto, Fautori & Affini honoratissimo,

DN. SAMUEL OLAI VALENIO,  
supremi judicij quod Aboæ est Vice  
Fiscali accurato, Fratri & Cōsanguineo dilectissimo.

*Exercitium hoc Academicum  
submissè, reverenter & officiosè  
dicat offertq;*

J. M A T H E S I U S

Rerum naturalium doctrinam quam scientiam naturalem seu Physicam, vocitare conservaverunt, liberali ingenio & accuratâ meditatione dignâ esse, nemo nisi planè hospes in Philosophia, ibit inficias; hujus quippe magna dignitas, mira jucunditas, summa necessitas: hæc crassam illam humanis mentibus infixam caliginem discutit, veritatisq; lucem vicissim restituit, hæc cœlum stupendæ magnitudinis, scintillantesq; inibi lumen flamas, perscrutatur, earum diversas effectiones investigat, hæc Meteororum, Metallorum, Herbarum, Stirpium, Arborum,

Animantium, naturas viresq; in-  
quirit, imò nos in totius hujus  
universi Effectoris & Conser-  
vatoris, nostramq; ipsorum de-  
ducit notitiam. Hujus itaq; sci-  
entiæ allectus præstantiâ, non  
abs re me facturum putabam,  
si aliquid studij in ejus medi-  
tationem collocarem, ac ex e-  
jus amœnissimo horto, floscu-  
los quosdam odoriferos con-  
templandos, ad nutum & vo-  
luntatem venerandæ Faculta-  
tis Philosophicæ, pro Disputa-  
tione publicâ exhiberem. Mi-  
hi itaq; hujus florentissimum  
hortum ingredienti, etsi per-  
plurimæ res se contemplandas  
obtulerunt, quæ sua jucundi-  
tate me ad sui considerationem  
impellere, poterant, præ cæ-  
teris

teris tamen in animum venit,  
difficilis & intricata, at nobilis  
valdè de anima inquisitio. U-  
niversam quidem animæ theo-  
riam exponere, nec temporis,  
nec instituti ratio hac vice per-  
mittunt; præcipua saltem mo-  
menta excerpere, & publicæ  
disquisitioni submittere consul-  
tum duxi: quæ omnia, bene-  
vole lector, pro consveto tuo  
candore, in meliorem partem  
interpretare.

### THEOREMA I.

Doctrina de anima spectat  
ad forum Physicum.

Ambigitur apud quosdam hanc  
doctrinam esse considerandam in  
Physica; verum non insvetum est,  
unam rem in diversis disciplinis con-  
siderari, quod materiale Philoso-  
phis appellatur, modus tamen con-

siderandi, quod formale Philosophis, diversus est: sic considerat animam Ethicus, ut sciat in qua parte animæ hæreant virtutes, quomodo affectus refrænandi, & ad μετόπητα quandam reducendi; Physicus autem scientificam & magis distinctam requirit animæ cognitionem. Anima etiam à Philosopho potest considerari dupliciter: uno modo pro ut est actus corpori immersus & velut alligatus; & sic quin ad Physicam pertineat non dubitamus: quia in Physica tractatur de materia hominis: at ejusdem scientiæ est cognoscere materiam & formam ut affirmat Arist. 2 Phys. altero modo ut est actus à corpore separatus, & sic ejus tractatio pertinet ad Pneumatologiam.

### **T H E O R E M A 2.**

*Animæ propagantur per traducem, mediante semine, quod est animatum.*

Super

Super hoc difficiili Theore-  
mate multis ab hinc seculis, ultrò  
citroq; disputatum est. Quidam  
nihil certè asserere ausi sunt, agno-  
scentes suam ignorantiam. Illi verò  
qui aliquid certi determinarunt, in  
diversas abidere sententias. Quidam  
animas ē potentia materiæ educi  
statuerunt, verum quid istis verbis  
intelligendum sit, de eo inter Au-  
thores nondum convenit: an nimi-  
rūm educantur ab ipsa substantiâ ma-  
teriæ, an ab accidente quodam, u-  
terq; modus propagandi, à suis ab-  
surditatibus liberari non potest.  
Haud enim in ulla materiæ poten-  
tia latent animæ: & si in sinu suo  
materia formas contineret, ac for-  
mæ materiæ suam originem debe-  
rent; Materia quæ est principium  
passivum & ignobilis, produceret  
activum & nobilis, quod absur-  
dum. Quidam animas rationales  
quotidiè à Deo immediate creari,  
animas autem rationis expertes, à

corporibus cœlestibus provenire existimant. Sed hæc sententia cùm Scripturæ tūm rationi est contraria. Deus enim die spetimo cessavit ab omni opere creationis, quod patet Gen. cap. 2. Itaq; amplius non creat; sed instituit naturam quæ cursum generationis & corruptionis absolvit, eumq; tuetur & observat. Deus quidem hodieq; concurrit ad rerum naturalium generationem, sed ut causa prima & universalis, quæ verò oriuntur, causarum secundarum proximi Effectus sunt. Cœlum & astra cum sint causæ universales, particulares formas inducere nequeunt. Nostram itaq; sententiam, missis aliorum opinionibus scripturæ, rationi & authoritati cōsentaneam probare conabimur. Deus in prima creatione rebus suas formas indidit, per quas generationis ordo continuatur: generatio quippè rerum naturalium pendet ab animalium multiplicatione, per benedict-

ditionem in prima creatione à Deo  
ipsis concessâ, Gen. i. 11. & v. 22 & v. 25  
item v. 28. & 29. Rationes variæ ad-  
duci possent, sed una sumus contenti.  
Quicquid generat & propagat se se-  
cundum speciem suam, id commu-  
nicando formam specificam generat  
ac se propagat, at corpus vivum ge-  
nerat &c. E. communicando for-  
mam generat & se propagat: forma  
enīm facit speciem, & operationes  
edit in corporibus, imò unicum est  
principium generandi primum &  
principale. Undè sequitur: Res  
naturales in generationibus physicis,  
producere corpus simile in specie,  
quia generans genito communicat  
formam suam per multiplicationem:  
aliàs generatio non esset secundum  
speciem, sed præter speciem. Hanc  
sententiam etiam ferè omnes non  
solum Lutherani Theologi, sed e-  
tiam Philosophi pleriq;, cùm ex  
antiquioribus, tum recentioribus,  
fovent, quos omnes hīc recensere

A 5.

vetat

vetat brevitas. Quomodo autem propagatur forma, cùm sexus uterq; generet porrò disquiriritur? an scilicet anima ab utroq; parente, an vero vel à patre solo, vel à matre sola, communicatur. Utrumq; parentem generare statuimus, & animam tám à patre quám à matre propagari. Non tamen duplicatur, hic anima, neq; sit compositio in Effectu, sive anima producita; quia ut sonat Regula Philosophorum: pluralitas Causarum Efficientium ut Externarum, non infert compositionem in Effectum. Hinc non est absurdum unam animam à duorum parentum animabus propagari. Sunt enim parentes Causæ sociæ, quæ stant pro una: & sicut duæ flammæ, dum uniuntur, unum & inseparabilem Effectum edunt; ita duæ animæ conjunctæ, in unum effectum conspirant. In ijs vero viventibus, in quibus sexus non est, unum semen sufficit, quod est cor-

pus ita à generante elaboratum, ut  
ubi perfectum est, à generante se-  
parari, integrum subsistere, & cum  
eo anima generantis in generatum  
transferri possit.

### T H E O R E M A 3.

*Omnis anima est tota in toto cor-  
pore & tota in qualibet ejus  
parte.*

Impropriè & negativè anima  
Totum dicitur. Sic ergo intelli-  
gendum Theorema; quicquid ha-  
bet anima, id omne in toto esse cor-  
pore, & quâvis ejus parte. Cum  
autem communiter recepta sit sen-  
tentia, valere quidem assertionem  
hanc de anima rationali; at non pa-  
ritè de cæteris, quippè quas utpo-  
te materiales extensas esse ad exten-  
sionem materiæ dicunt: novitatis  
nonnullius thesis hæc nostra fortè  
arguetur. Sed nec planè nova est,  
nec, si nova, propter solam novita-  
tem improbanda. Multa nova ve-

ra sunt, quæ falsis antiquis sine da-  
biò præferenda sunt. Videamus igi-  
tur, quid insit veri præsentis theore-  
mati. Ita argumentamur: quicquid  
est in ubi definitivè, illud totum est  
in toto spatio, & totum in quavis spa-  
tij parte, At O. anima est in ubi defi-  
nitivè. E. Et rursus pro stabiliendâ  
minore: quicquid non est ubiq;, &  
tamen spatium non occupat, nee cir-  
cumscriptiōnem localem admittit, il-  
lad est in ubi definitivè. At anima  
&c. E. De veritate minoris nisi qui  
de industriâ vult cæcus esse, non du-  
bitet. Anima enim incorporea est,  
quantitatis & partium omnium ex-  
pers. At dices: animas materiales  
extendi ad extensiōnem corporis per  
accidens. Commune quidem hoc est  
& plausibile effugium. Dic verò no-  
bis quæso, qualis illa est extensiō per  
accidens? Ficta est, imaginaria est, a-  
nimæ immateriali, non minus com-  
petens quàm materialibus. Sed por-  
ro obijcis animam rationalem spiri-  
tum

sum esse? Ita est: quid si verò nos affirmaremus, animas quoq; reliquas spiritualis esse naturæ, num ideo communio omnium rectè philosophantium crisi vapularemus? incorporeæ certè sunt animæ omnes, & essentiam habent, si non cum reliquis spiritibus univocam, saltem istis analogam. Ita nos pro libertate Philosophicâ, ad assertionis nostræ defensionem rationamur, non imparati mutare sententiam, si firmiores pro opinione contrariâ rationes adductæ fuerint. Maneat igitur omnem animam cum omnibus suis facultatibus esse in toto corpore, & quâlibet ejus partes. Id quod intelligendum non de actu secundo, sed primo. Non ubivis omnes actiones exercere potest anima: sapit in cerebro, irascitur in corde, videt in oculis, audit in auribus &c.

#### THEOREMA 4.

*Uua tantum in quavis vivente*



*est anima specifica, instructa  
proprijs facultatibus.*

Non audiendi sunt illi absurditatis patroni, qui statuerunt, hominem ante nativitatem in utero, primùm informari animà vegetativà, postea sensitivà & tandem rationali. Quid enim hoc est: ex semine humano primum fieri plantam: ex planta brutum: ex bruto tandem hominem? Unde illa duplex hominis mors, nimirum ut plantæ & bruti, antequam nascatur? Nec magis accurati sunt illi, qui plures in uno vivente formas specificas simul constituant. Si enim unum corpus pluribus informatur formis specificis; non unum sed multa sunt corpora eaq; specie differentia. Una quaq; enim forma specifica, propriam constituit speciem. Sunt quidem in homine, ut patet ex operationibus, anima vegetativa, sensitiva & rationalis, verum conceptu duntaxat, non re distinctæ. Una est re anima

ratio-

rationalis, facultatibus & vegetativis  
& sensitivis instructa, quæ propter  
diversas functiones diversa sortitus  
nomina, diversos conceptus. Qua-  
tenus dat corpus naturale, appellatur  
forma; quatenus corpus animatum,  
anima vegetativa: quatenus animal,  
sensitiva; quatenus hominem, ratio-  
nalis. Idem de sensitiva & vegetati-  
va in brutis, tenendum. Præter a-  
nimam quoq; vegetativam unaquæq;  
plantæ species, propriam habet for-  
mam specificam, à quâ anima vege-  
tativa non re; sed conceptu tantum  
differt. Nullius enim plantæ forma  
specificæ est anima vegetativa; sicut  
neq; anima sensitiva ullius bruti spe-  
ciem constituit.

### THEOREMA 5.

*Anima à facultatibus suis rea-  
litèr differt.*

Nimium in quæstione illâ laborant  
Scholastici, an facultates ab anima re-  
alitèr an vero formalitè tantum dif-  
ferant?

ferant? Nos ut rem non esse magni momenti: ita sine magno verborum apparatu controversiam totam, decidi posse judicamus. Quemadmodum nulla substantia creata immediatum est actionum suarum principium, sed quæcunq; agit, per accidentia sua agit: ita quoq; anima. Anima proinde substantia est, facultates, quibus mediantibus operatur anima, accidentia. Unde argumentum. O. accidens differt realiter à substantia: Facultates animæ sunt accidentia. E. realiter differunt à substantiâ, videlicet anima. Nec obstat quidquam animæ simplicitas. Illa enim non absoluta est & summa, sed restricta & in suo genere. Compositio ex partibus sive essentialibus, sive quantitatibus repugnat animæ: illa vero quæ est ex subiecto & accidente minime.

### T H E O R E M A 6.

*Anima non est in corpore tanquam locatum in loco.*

Locum

Locum esse corporis naturalis affectionem, jam dudum in Scholis Philosophantium approbatum est. Absurdus est autem Timplerus ut saepeius alibi, ita lib. I. Empsych. cap. I. problem. II, ubi hunc in modum loquitur: cum anima, inquit, secundum substantiam existet in corpore organico, & quamdiu cum ea unita manet, alibi neque existat, neque operatur, necesse est ut concedamus illam in corpore organico tanquam locatum in loco esse. Assertioni huic Timplerianae sequentia opponimus I. Anima non est corpus, sed ejus forma, idcirco nec habet corporeas affectiones. 2. Omnis locus est aequalis locato, at inter corpus & animam aequalitas nulla. Hæc enim omnis ex quantitate oritur, anima vero non est quanta, E. nec aequalis vel inaequalis. 3. Anima profundissime, totum corpus intimè penetrat & pervadit, ideo est expers omnis loci. Pertinet hoc dictum Nysseni quod leg.

B

lib.

lib. 2. de anima cap. ii. *Anima* inquit  
cūm sit incorporeā & loco non circumscripta, tota per totum meat corpus, & non est pars in quā tota non adsit. Non enim à corpore tenetur, sed ipsa tenet corpus. Neq; est in corpore ut in vase vel utre; sed potius in ipsa est corpus.

### THEOREMA 7.

*Animas, soluto vinculo, per causas purè naturales in totum annihilari, dubitari potest.*

Hoc in primis certum esse de anima rationali, nemo dubitat: quod non solum Christianis notum est, sed etiam sanioribus Ethnicis hoc quoddammodo constabat: reliquas vero omnes utpote plantarum & animalium brutorum formas, quæ à materia sua dependent in fieri, esse & operari, per causas tamen purè naturales in totum annihilari ambigitur: nam juxta vulgatum illud principium quod in Philosophia est πολυρρήτερον: ut

ex

ex nihilo negativo, nihil fieri potest,  
ita neq; ex aliquo Physicè purum pu-  
tu m nihil; divina eadem & infinita  
potentia, ad utrumq; requiritur. Id.  
circò si totalis annihilation statuenda  
est, à Deo ea fiet, cuius tantùm in  
manu est. Cum verò Deus sapien-  
ti consilio rerum vicissitudines istas  
erit, nullo videtur argumento stabi-  
liri posse Deum ante extremum diem  
aliquam rem in totum annihilare.

Atq; tantùm hâc vice, ex nobilis-  
simâ hâc pariter atq; jucundissimâ  
Theoriâ libâssè, publicoq; subjecisse  
examini sufficiat, habitâ scilicet rati-  
one temporis & injunctæ brevitatis.  
Faxit Deus Ter Opt. Max, ut hæc &  
alia honesta nostra exercitia Acade-  
mica, unicè vergant in sanctissimi sui  
Nominis gloriam , publicumq;  
Ecclesiæ & Reip. commodum,  
decus atq; emolumentum.



Ad

*Virum - juvenem Præstantissimum*

DN. JOSEPHUM MATHESIUM  
BOTNIENSEM, Philosophiæ  
Candidatum pereximum; pro Gra-  
du in Philosophiâ summo doctè &  
nervosè de Anima in Genere dis-  
serentem,  $\tau\varphiοσφώνησις$  ex-  
temporalis.

**E**st *Anima* in nobis, agitante cale-  
scimus illâ,

*Auræ Divinæ particulam esse*, ferunt:  
Olim pura quidem demissa in corpo-  
ris artus,

Tempore quo primum conditus es-  
set homo.

At post lethæo contacta est vulnere,  
primum

Cum serpens hominum decipit ip-  
se genus.

Inde hominum mortale genus, mor-  
bosa senectus,

Mens oblita Dei, degener atq; a-  
nimus.

Cæca

Cæca hinc Mortales miseros oblivio  
vastat:

Et perijt magnum, quod fuit antè,  
decus.

Qoò magis in laudem veniunt, qui,  
vulneris ægri

Absternsis maculis, se reparare studēt.  
En tibi, quæ studijs incumbit sedula,  
gentem!

Omnes quod cupiunt, hæc ferè so-  
la facit.

Artibus hæc doctis mentemq; animūq;  
repurgat;

Navatæq; operæ præmia digna feret.  
Gratulor ergo Tibi Perdocte JOSEPHE  
MATHESI,

Eximiæ Mentis prospera dona tuæ!  
Hinc sua serta Tibi suspendent gem-  
mea Musæ,  
Et doctus clarum cinget Apollo  
caput.

*Ita Amico meo perdilecto L. mg.  
gratulari volebam*

P R A E S E S.

Ceu tua luxuriat mentis secretior aula  
Dum fovet incensum naturæ ab o-  
rigine lumen,  
Scicelidum invigilans studijs, ne for-  
te recessus  
Ingenium, obscuri, fugiant, quos tan-  
ta theatri  
Ex nihilo extructi moles & pondera  
mundi  
Substernunt, doctâ penetrandos voce  
Magistri:  
Sic satis intrepidus subsellia culta So-  
phorum  
Scandere non cessat; dubij experien-  
tia victrix  
Atq; animi exulti vigor hic ea clau-  
stra repandunt,  
Quæ nisi Palladiæ facile reserare mi-  
nistræ  
Non potuere manus. Tibi cur mea por-  
tio cordis  
Altera Mathesi, tradendos grator ho-  
nores  
Grator & ingenium felix huiusq; la-  
bores.  
gaudi-

Gaudia sic lētā, domus inclyta tota  
Parentis  
Fronte gerat, studiumq; tuum mire-  
tur & optet,  
Ceu facio, facietq; reor, quicunq; pas-  
ratus  
Solvere vota pijs nunquam conatibus  
horret,  
Ut tibi successus vultu fortuna sereno  
Conferat eximios & tantos ordinet  
ausus  
In patriæ & patris splendorem; ut se-  
ra nepotum  
Posteritas nunquam taceat tibi dicere  
laudes!

*Literatiss. Dn. Candidato Fautorī  
& Amico suo intimo de feliciter  
ingressā studij Philosoph. ratione  
ita meritò sed extemporaneus  
gratus.*

**JOHANNES FLACHSENIUS**

**E**ntheus ardor agit quid non, pro-  
mittere Divæ  
Non possunt faciles, mens quam fer-  
vore Lyçæi  
nititur

Nititur ad cœsum Sophiæ concende-  
re culmen?  
Perrumpit discenda labor: stant præ-  
mia cæptis  
Exhaustos sequitur merces condigna  
labores.  
Sic studijs operate bonis dilecte Ma-  
thesi  
Nunc juvat erectos lætus spectare ...  
umphos  
Dulcia Musarum stipendia, laurea  
tandem  
Quæ tibi ferta dabunt, sacri dona-  
ria Phæbi.  
Eja age sic doctis operari perge cam-  
nis  
Queis decor & virtus tua cingent tem-  
pora clarum &  
Ad ventura tuum transribent secula  
nomen.

Ita successibus studiorum sympathetice atq;  
amici sui intimi festinus gratu-  
lari voluit

G A B: E: F O R T E L I' S

